

pugnandam et obsidendam velocissime pergere proposuit. Cum autem ad ipsam pervenisset *civitatem, christiani eam undique *f. 54^b. obsederunt. Erat quippe civitas illa situ et non arte fortissima et inexpugnabilis. Circumdabatur enim a quodam cavo profundissimo, cuius ripe erant altissime; cuius cavi latitudo erat par iacture¹ unius archi; in quo omnes aque, que a montibus fluebant, a superiori parte in ipso decurrebant cavo, ab inferiori vero parte aqua non poterat decurrere. Erant enim ibi porte, que cum claudebantur, aque nullo modo poterant exire, quarum claves detinebantur in custodia a Frunduxia regis Pampilune filia. Cumque per septem menses in eadem obsidione permanerent, cognoscentes nullam Saracenis posse facere lesionem, ab ipsius civitatis obsidione recedere proposuerunt. Interea dicta Frunduxia regis Pampilune filia, quam quidam venerabilis sacerdos, qui de exercitu archiepiscopi Trepini et eius precepto in ea intraverat civitate, predicaverat et admonuerat², ut ad rectam et veram fidem Dei vivi pervenire deberet, baptismum quoque in nomine domini nostri Iesu Christi acciperet, tacta divino spiritu et admonitione ipsius sacerdotis baptismum suscepit et ad fidem rectam et veram domini nostri Iesu Christi pervenit. Quo facto ipsa Frunduxia claves portarum ipsi presbytero dedit. Erant enim ipse porte aquarum inundatione coperte³, ita quod nullo modo poterant videri. Cui sacerdoti locum portarum et modum aperiendi indicavit. Quibus ita factis dictus sacerdos cum quibusdam hominibus, qui propter paupertatem in ea civitate stare *nec habitare poterant, exivit illico, ad regis curiam pervenit *f. 54^c. et claves portarum eidem dedit atque locum⁴ earum et modum aperiendi indicavit, et qualiter Frunduxia baptismum susceperat⁵ et ad fidem veram pervenerat, ipsi regi aperuit et narravit. Quo facto dictus rex cum viris sapientibus ad portarum locum exivit, ipsas quoque cum magno labore fregit et dilaceravit, ita quod aqua penitus decurebat. Percipiens Marsilius Saracenorum rex et ipsius civitatis viri de aquarum cessatione valde timuerunt, cogitantes et diligenter inquirentes de portarum apertura; credebat ipsius civitatis rex Frunduxiam ipsius civitatis regis filiam claves in cofino suo habere, qui [eam⁵] ante eius presentiam venire fecit; que patri suo dixit, quod christiana erat et ad fidem domini Dei vivi pervenerat et claves regi christianorum dederat. Quibus indictis et apertis, videntes se in ea civitate evadere minime posse, capite amputato christiane Frunduxie et corpore in quodam fossato proiecto, de eadem civitate privatim nocte obscura exierunt. Altera vero die

1) 'erat pa ura' Hs. 2) 'admoniuat' Hs. 3) So z. B. auch unten f. 57^c 'coperire' statt 'cooperire'. 4) 'modum e. et locum ap.' Hs., was nach der fast gleichlautenden Stelle kurz vorher corrigiert ist. 5) Fehlt Hs.